

fici in servos ac venire imperavit, partim in asperrimas insulas evehi. Idem Suet. in Tito. Gentiles alii in Creta Jovem pingebant auribus earentem, ut ea effigie admonerentur omnes, principes in primis et magistratus non expedire ut aures præbeant delatoribus; sed, quoad fieri potest, ipsi omnia recognoscant et inspiciant. Mide vero Phrygum regi asininas appinxere aures, quod omnia, quæ in regno fiebant, per delatores et subauscultatores investigaret. Sapiens multo Samuel, iudex Hebræorum, subditos suos ipse frequenter visitavit, eorumque urbes obibat, et in primariis earum, Bethel, Galgala et Masphat tribunalia sibi constituerebat; sedem vero iudicii ordinariam collocarat in Masphat, quæ vox speculationem significat, indicans necessariam esse magistratui populi inspectionem, et causarum recognitionem, I. Reg. VII. Quam vero perniciosum sit delatoribus facile credere, memorabili exemplo ostendit Phædrus, libertus Augusti Cæsaris, lib. III. Fab. cap. XLIX. « Quidam, inquit, libertus accusavit heram apud herum de adulterio, ut utriusque hæres evaderet. Herus, ut scelus deprehenderet, finxit se foras proficisci: at noctu festinus domum redit: adit lectum in tenebris, virum in eo cubantem deprehendit, quem suspiciens esse adulterum, ex impatientia præcipitanter confodit. Ac, illato lumine, videt esse filium suum: quare, præ dolore impatiens, eodem pugione seipsum transverberat. Uxor apud eum viros agitur rea viricidii, et filicidii, quod tam virum quam filium occiderit. Augustus Cæsar, rei veritate vestigata et perspecta, hanc tulit sententiam: Libertus, qui omnis mali causa extitit, det pœnas: nam heram orbatam tam viro quam filio miserandam magis, quam damnandam censeo. » En pater impatiens, impatientiæ hæc damna retulit, primo cædem filii, secundo cædem sui ipsius, tertio uxoris orbationem, calumniam et vitæ periculum.

## CONCIO III.

## QUATUOR SURDI PERICULOSI.

I. Qui bona consilia et correctiones non audiunt. — II. Qui verbo Dei aures ocludunt. — III. Qui causas pupillorum non audiunt nec expediunt. — IV. Qui veniam rogantibus dare nolunt.

## THEMA.

*Ephphetha. quod est, adaperire.* Marci VII.

Mirari aliquis posset, quamobrem Christus totæ ceremoniis surdum hunc curarit, cum illi qui

adduxerunt eum non peterent nisi solam manus impositionem, et Matthæus dicat multos eo tempore cæcos, claudos, debiles ad ejus pedes projectos, et omnes mox curatos esse. Denique, nonne uno alterove verbo mortuos excitavit? Quid igitur causæ est, quod ad unius surdi aures aperiendas tam multis utitur mediis, parergis et cæremoniis? Sed nimirum Christus morbos corporales curavit propter morbos animi: ideo illorum curam horum curæ accommodavit. Quando igitur ad surditatem corporis corrigendam tam multa adhibuit media, manifeste indicavit quam gravis animi morbus sit surditas spiritualis, quam difficilis emendatu. Quinam vero potissimum morbo hoc laborent, paucis indicabimus; et si fieri potest, remedium adhibebimus.

I. Primi sunt, qui bona consilia et correctiones non audiunt neque admittunt; de quibus dicitur Psalmo, LVII. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium et venefici incantantis sapienter.* Sunt hi in periculo præsentissimo interitus. De Banaia referunt sacræ litteræ, II. Reg. XXIII. quod descenderit in cisternam, et percusserit ibi leonem in diebus nivis, qui nimirum casu in illam inciderat, ut refert Josephus: *Repugnantem, inquit, ictu baculi, quem gerebat, exanimavit, quia nimirum, ut vivus extraheretur, adjuvantem non admisit.* Ita nimirum illos, qui cum in peccatum lapsi sunt, nec inde eripi se patiuntur salutari correctione, sed potius reluctantur et repugnant, velut incorrigibiles perdit et extinguit Deus. Quæ enim spes salutis est, cum æger repellit medicum? Cum respuit medicinam? Unde D. Chrysostomus, in homilia de ferendis reprehens. tom. III. ait: *In peccatis hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia.* Idcirco, sicut insipiens est qui pharmaca rejicit, ita et stultus, qui non suscipit grato animo reprehensiones. Sic insaniebant Judæi, quando Sancto Stephano, medico et correctore suo verba salutis proferente, aures ocludebant: *Dissecabantur cordibus, et stridabant (more serpentum) dentibus in eum, et continuerunt aures suas, velut aspidæ et obturantes aures suas, Act. VII.* Quod etiam fecerunt paulo ante suum excidium homini prophético, nomine Jesu, qui plusquam septennio in urbe circumcursans exclamabat: *Væ, væ Jerosolymis, exterminium eis denuntians verissimo præ-sagio; quem tamen adeo non audierunt, ut comprehensum etiam acriter ceciderint, Joseph. lib. VII. c. XII.* Mirabilem etiam cladem senserunt anno 1618. Pluresenses apud Grisones, incolæ fere 2100. tempore nuptiarum, dum in epulis, ludo, saltu alii lucris suis occupati, montis

vicini ruina oppressi sunt, qui prius sæpius præmoniti de impendente ruina, primo per lapideam tabulam inter ædium rudera post repertam, Hebraicis litteris exaratam, in hæc verba: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? Egredimini de Babylone, salvate animas vestras. Nemo taceat peccata eorum: veniet enim vindicta Domini, et retribuet eis secundum iniquitates eorum.* Deinde, per fœtorem intolerabilem, quasi de morituro homine egressum, fatale quid nuntiantem. Tertio, per duo examina apum inter se dimicantia ad interneccionem utriusque (apud Corn. a Lapide, in c. VI. Apoc. vers. IV.) Quarto, per pastorem, qui rimam montis aperiri sentiens, gregem alio pepulit, ac denique per pauperem hominem (hic forte pastor ille fuit) qui id vaticinatus, et urbis cancellarium Joan. Andreæ Wertenmann super ea re convenit; nec tamen auditus, sed potius derisus pene plagas retulit, falsi prophete nomine appellatus et ablegatus cum indignatione. Refert Nicol. Bellus, apud Georg. Stengel. II. p. labyr. c. XVIII. Sic nimirum et Noemum deriserunt impii, quibus diluvium præ-sagit, et alios, qui ejusdem ideam in æs inciderunt, teste Beroso Chaldæo, l. I. idcirco velut desperati diluvio exterminati sunt.

II. Qui verbo Dei aures ocludunt, idque vix toto anno semel audiunt. Et quid his dicendum, nisi illud Christi: *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis?* De panthera scribunt S. Isidorus in etymol. Albertus M. l. de animal. et post eos Berchorius, in rept. v. *Audire, Geminianus de simil. quod non solum animal sit variis et pulchris coloribus, sed etiam grato feris aliis odore, quo eas ad se attrahit: quin et voce suavissima, qua et suæ et alterius speciei bestias allicit: solus draco ejus vocem oderit, velut sibi venenosam, eaque audita in cavernam suam se abscondat. Qui vox pantheræ nisi verbum Dei pulcherrimum, suavissimum? Hoc ergo Christi fideles, qui electi sunt, libenter audiunt ac requirunt: at vero dracones, qui ex Deo non sunt, filii tenebrarum, odio habent; itaque tempore concionum in suis cavernis se abscondunt. Quid vero de his sperandum? Quod de hominibus qui cibum omnem aversantur, et marasmo laborant, de quibus dicitur, Psal. CVI. *Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quid enim nisi mors hanc surditatem sequitur? Judæos secutum est exterminium et abductio in Babylonicam captivitatem sub Sedecia, quando is: *Non erubuit faciem Jeremiæ prophete loquentis ad se ex ore Domini: sed et universi**

*principes sacerdotum et populum subsannabant nuntios Dei et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, etc.* ut dicitur II. Par. ult. Similis clades excepit subditos episcopus Trajectensis sub S. Amando, eorum episcopo: cum enim aures prædicationi ejus clauderent, alii risu eum exciperent, quidam aliis sceleratior, sævo correptus dæmone, animam misere efflavit. Episcopus, excusso in eos pedum pulvere, alio discessit, monasterium sibi cum suis extruens. Mox per biennium terra illorum, qui ejus prædicationem spreverunt, in solitudinem quasi redacta est, desolati vici et castra, agri inculti relictæ, eversæ domus, nullusque eorum, qui contempserunt eum, remansit, ut scribit Milo monachus monasteriis S. Amandi, in Sur. 6. februar. Nimirum hoc est quod dixit Christus, Matth. X. *Quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.*

III. Qui causas pupillorum et viduarum non audiunt et expediunt. Tales erant tempore Isaïæ principes Judæorum, quos arguit, cap. I. *Principes tui infideles socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant et causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus: Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Quia enim a viduis pauperibus non sperant munera, ideo earum causas differunt vel dissimulant. Eodem spectant qui pauperes mendicantes non audiunt. De quibus dicitur, Prov. XXI. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: et ipse clamabit et non exaudietur.* En malitiam avari; obturat aurem, et quidem ad clamorem pauperis. Huic duplicatæ malitiæ respondebit duplex pœna: nam primo, et ipse incidet aliquando in calamitatem, ut clamare cogatur; deinde, non exaudietur. Sic contigit in primis Macedonio magistro officiorum Gratiani imp. qui S. Ambr. ad prætorium, ut pro quodam intercederet, eunti fores ocluserat. Eo enim viso, ait ipsi Ambr. *Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam neque clausas januas inveniens ingredieris.* Quod et factum. Nam mortuo Gratiano, ad ecclesiam confugit, nec tamen ad eam aditum, patentibus licet foribus, invenire potuit, Baron. ex Paulino, anno 381. Ita qui viscera misericordiæ claudunt pauperibus, invenient aliquando clausa sibi, licet aliis aperta, viscera misericordiæ Dei. Nonne id manifeste patuit in



epulone; qui, quoniam Lazaro non dedit micas panis, positus in inferno clamavit ad Abraham et petiit guttam aquæ, nec tamen obtinuit? Unde S. August. serm. XXV. de verb. Dom. ait: « Ideo negatur in pœnis misericordia diviti, quia ipse dum viveret, noluit misereri. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. » Spectat huc, (quod obiter alibi retuli) pœna talionis irrogata homini illiberali, in speculo tristium. Joan. Duegnii Hisp. c. I. « Is cætera bonus, castus, humilis, modestus, nullique obnoxius in Deum blasphemiam; adeo tamen asper, ut ne horam quidem mendicantium vocem ferre posset; remotius ab ædium janua novum struxit domicilium, unde nullos vel maximos pauperum clamores perciperet. Verum, ubi extremum ille diem obiit, ac elato in templum funere, saceris episcopus operari cœpit; ecce huic novum et admirabile quidpiam objicitur. Quoties enim ad populum episcopus verba hæc protulit: *Domine vobiscum*, toties imago Christi Domini in cruce suffixi visa est illi manus clavis eximere ac in aures conjicere, ne preces pro illo defuncto factas perciperet. Tali monstro attonitus episcopus, peracto demum sacrificio tantæ rei causam rimari statuit: nihil tamen a demortui vicinis aliud exprimere potuit, quam præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et crevit non paulum inde admiratio, donec tandem certis auctoribus accepit, quam asper ille et immitis in egenos extiterit, quos ne audire quidem, nedum adjuvare, vellet, tum enim ille certe animadvertit Christum Dominum pro mortuo respuisse preces, qui pauperum clamoribus aures ocludebat: cujus iudicium fecerit imago redemptoris aures manibus obstruens, juxta illud Sap. ir Prov. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur. »

IV. Qui veniam rogantibus dare nolunt. De quibus S. Jacobus, in ep. cap. II. ait: *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam*. Quomodo enim talis impetrabit peccatorum veniam, cum hanc præ confusione petere non audeat, quam alteri dare noluit? Unde S. August. serm. V. de verbis Domini ait: « Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnosceis parem tuum? » Et serm. LXI. de temp. « Si inimicos non diligimus, qua fronte dicimus: Pater noster? Qua ratione dicere poterimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus? » Hinc servus ille nequam, qui a domino dimissus, noluit misereri conservi sui, in carcerem retractus, non legitur veniam amplius impetrasse, quia scilicet petere non est

ausus quod servo prius negaverat. Unde Eccles. XXVIII. dicitur: *Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecatur?* Exemplum refert Joannes junior ord. Prædicat. in scala cœli, de quodam Burgensi, qui in tantum fuit rancore affectus, ut injurias sibi factas nullo modo indulgere voluerit. Qui cum esset mortuus et portatus ad ecclesiam, et psalmi et orationes dicerentur pro eo, Crucifixus, eodem quo supra diximus modo, retraxit manus clavatas de ligno, et apposuit auribus, et vox audita est: *Nec pepercit, nec parcam*.

Quando igitur vidimus quam gravis et periculosa sit hæc surditas, non miremur si tanta fecit Christus pro surdastri illius cura. Quapropter et nos, si forte tales deprehendamus nihil non faciamus pro eorum emendatione. Abducamus eos a turba; mittamus digitos nostros in aures eorum discrete admonendo, suspiciamus in cœlum et ingemiscamus pro eis per orationem. Dicamus illis: *Ephphetha, adaperire; surdi audite*, Isa. XLII. ut ita simul laudemus Deum.

#### CONCIO IV.

RECTE UT LOQUENDUM, EX NATURA ET STRUCTURA LINGUÆ DOCETUR.

I. Lingua radicem in corde habet, ut cordi consentiat. — II. Unica est, ut loquaris parce. — III. In edito corporis loco est, ut loquaris cœlestia, potius quam terrena. — IV. In ore calido est, ut spiret amorem et ædificationem. — V. In ore humido est, ut loquaris caute et pacifice. — VI. Infra aures oculos et nares est, ut loquaris postquam audieris, circumspexeris, et docueris teipsum. — VII. Ori quasi carceri inclusa est.

THEMA.

*Solutum est vinculum linguæ ejus et loquebatur recte.* Marci VII.

Delicatam valde et perdifficilem esse humanæ linguæ structuram, vel ex eo patet, quod in embryone ultima animatur, et moriente homine prima emoritur. Ita enim Plinius, l. XI. c. XXXVII. *Primum mori tradunt, cor novissime*. Quod vero primum moritur, ultimum animatur, teste Arist. l. II. de gener. animal. c. IV. *Evenit namque omnibus, inquit, ut quod ultimum sit hoc primum deficiat, et quod primum id ultimum*. Quod in structura linguæ fit, idem fere in linguæ usu cernimus. Delicatus admodum et difficilis est linguæ usus, adeo ut Sanctus Jacobus, c. III. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*.

Ex delicatæ linguæ formatione venit, ut rari homines sint, qui nullo prorsus linguæ defectu vel impedimento laborent: multo tamen rariores sint, secundum mores lingua non impingant. Mutus hodiern. evangelii, non omnino mutus, sed balbutiens et impedita linguæ fuit. Christus eum sanavit, ut recte et expedite loqueretur. At quis sanabit linguas eorum, qui secundum mores male loquuntur? Naturam audiemus magistræ, seu potius creatorem Deum in natura et structura linguæ. Ait enim amicus Jobi Eliphaz: *Visitans speciem tuam, non peccabis*, Job. V. Videamus formam et structuram linguæ, ut discamus loqui sine peccato.

I. Lingua radicem suam habet in corde, ut doceat homines ea proferre lingua, quæ in corde sentiunt, nec sit dissonantia inter mentem et sermonem. Intellexere hoc et gentiles, qui propterea pomum Persicum folio connexum (illud enim cordis, hoc linguæ speciem habet) cor linguæ consentiens esse debere interpretati sunt; ideoque eam arborem reputarunt sacram, teste Plutarch. l. de Iside et Osiride: *Plantarum Ægypti, inquit, præcipue Deo sacra Persicam esse referunt, quod fructus ejus cor, linguam æmuletur folium*. Tradunt etiam anatomici ex lingua duas venas tendere, unam ad cor, alteram ad cerebrum. Vult ergo natura omnimode ut lingua cum ratione et corde consentiat. Qui aliter loquitur, in naturam peccat, unde omnium theologorum sententia, omne mendacium contra naturam est, adeoque peccatum. Naturale est enim id foras depromere, quod quis intus gerit, non aliud. Quin et ipse Aristoteles, IV. ethic. c. VII. docet omne mendacium per se esse pravum et fugiendum, cum non magis conveniat homini, quam mugire, latrare, mordere, quod brutorum est. Cum igitur natura inclinet hominem ad veritatem, non nisi studio et violentia quadam adhibita loqui mendacia potest: sicut imitari voces bestiarum, mugitum, ruditum, latratum, vel avium cantum non nisi adhibito studio et labore potest. Et quemadmodum aves, ut præter naturalem, suum cantum, discant alium artificialem, uti merulæ vel enuntiare verba humana, ut psittaci, ad hoc diu edoceri debent, donec sensim effingant discantque voces peregrinas; sic homines, ut mendacia loquantur, prius fingere dolos, et linguam suam ad hoc edocere debent. Quod bene expressit Jeremias, cap. IX. dicens: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii non veritatis*, quasi dicat: Lingua eis data est, velut arcus, quo jacularentur ad veritatem ex oculo dextro: at illi contra naturam et morem sagittariorum jaculantur ad menda-

cium ex oculo sinistro. Unde paulo infra id reprensus, ait: *Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut non inique agerent, laboraverunt*. Ecce lingua, ut mendacium proferat, edoceri debet, sicut merula aut pica, ut alienas a natura sua voces aut cantilenas canant. Filii Hebræorum in Babylone a matribus Azotiis edocti, non jam Hebraica et paterna lingua, sed Azotica et materna loqui cœperunt: *Juxta linguam populi et populi*, II. Esdræ XIII. Modo homines a natura quidem facti et formati ad loquendam veritatem, edocentur a mundo et diabolo loqui mendacium, cujus pater est diabolus, Domino teste, Joan. VIII.

II. Lingua unica tantum data est hominibus, cum tamen aures, oculos, genas, nares, manus, pedes habeant binos. Et cur hoc, nisi ut doceret plura eis audienda, videnda, investiganda, toleranda, operanda, perambulanda, quam loquenda esse. Ita Sanctus Basilius, l. de vera virginit. « Natura, inquit, loquendi audiendique modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam unam nobis effinxit; et quasi duplum disciplinæ causa audire debeamus, et ad ea quæ rogamus sequi altera proportionione contractum referre sermonem. » Idem vidit ac respondit Demosthenes, rogatus cur habeamus aures duas et linguam unam: *Quia duplo plus audiendum quam loquendum*, Maxim. serm. XLVIII. Clarissime Sanctus Jacobus, c. I. *Sit autem omnis homo, inquit, velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Ratio est, primo, quia auditus sapientiam nobis infundit, lingua effundit; per auditum doctrinas accipimus, per loquelam damus. Quis autem non mavult accipere bona, quam dare? Ad accipiendum manus habemus apertas, ad dandum vero clausas: ideo et natura aures nobis patulas et apertas, linguam vero clausam dedit. Hinc sicut juvenes profusiores ad dandum, senes vero tenaciores sunt; ita etiam juvenes, pueri et feminae, loquaciores, senes taciturniores, quia plus sapientiæ possident quam illi. Sic vites juvenculæ, teste Gregor. M. (ut refert Tufo, Ecclesiastici VIII.) vinum quidem copiosius gignunt, vetustæ autem melius. Hic et animalia, quo sapientiora, eo minus vocalia sunt, uti elephas, (qui etiam corpore licet maximo, modicam valde linguam habet) simia et leones. Hinc et aves, quæ bene ac suaviter canunt, modico anni tempore canunt; contra garrulæ et clamosæ toto anno, uti passerres, anseres, corvi, picæ. Secundo, quia in audienda doctrina nulum est periculum; in eloquenda vero multum: sicut qui sæpe discurrit, sæpius cadit, quam qui raro ambulat. Quid enim facilius quam lingua impingere? Rursum, si male loquaris, offen-



des alios; si bene, teipsum facile per inanem gloriam lædes. Unde August. in Psal. XV. « Feliciores, inquit, sunt qui audiunt, quam qui loquuntur: qui enim discit, humilis est; qui docet, laborat ut non sit superbus. » Ideo S. Anselmus Cantuar. episcopus testari solitus erat: « Malle se inter pueros sub ferula magistri parere, quam in conventu populorum pontificali cathedræ præsidere. » Edinerus, in ejus vita.

III. Lingua humana in edito corporis loco, in capite videlicet, velut in suggesto et cathedra, collocata est: non in depresso, uti lingua brutorum, voce terram feriens. Cur vero hoc? Uti que ut norit homo sermonem sibi cum Deo potius, quam cum hominibus habendum, nec tam de terrenis, quam de supernis et cœlestibus rebus, cavendum vero maxime a spurcis et lutosi, quibus bruta delectantur: *Qui de terra est, de terra loquitur*, ait Joannes Bapt. Joann. III. ergo qui de cœlo est, de cœlo loquatur necesse est: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, Luc. VI. et Romulus, apud Melissam, serm. XLVIII. t. V. biblioth. *Vas fictile hiati et sono, hominem sermone probari*, ait. Confirmat D. Bonaventura, opusc. de perfectione vitæ, cap. IV. « Argumentum, inquit, quasi infallibile est, ut si sit homo in Teutonia, et non loquatur Teutonice, videtur quod non sit Teutonicus: sic qui est in mundo et mundana non loquitur, evidenter demonstrat se de mundo non esse: qui enim de terra est, de terra loquitur. » Scimus Christum Phariseos sepulcra dealbata appellasse. Unde id constabat? Ex sermonibus eorum, qui fœtore pleni e cordibus illorum exhalabant. Unde Psal. V. dicitur: *Sepulcrum patens est guttur eorum*. Sepulcra alioquin fœtorem cadaverum tegunt et sepeliunt; at qui turpia et fœda loquuntur, velut patentia sepulcra profertur fœtorem, adeoque se ostendunt nonnisi luxuriæ sepulcra esse. Alii perpetuo de opibus et pecuniis loquuntur, similes illi pisci capto a S. Petro; qui cum pabulum aliquod sibi utile, verbi gratia, vermiculum aut muscam more habere deberet, staterem in ore habuit, Matth. XVII. Ad quid pisci pecunia? Huic ergo similes sunt avari, ut advertit Theophylactus, qui cum pabulum animæ suæ ruminare necesse haberent, nonnisi argentum et pecuniam loquuntur. Alii nugas et futilia fere semper in ore habent et nugigerulos se ostendunt, qualis ille rusticus Sanctum Auxentium abbatem de rebus salutis loquentem interpellans ea voce: *Bonus dies, tibi domine mi*. Cui ille: *Et tibi bonum tempus*, respondens stulto secundum stultitiam suam, Sur. 14. febr. Contra hos apostolus ad Ephesios, IV.

ait: *Omnis sermo malus (Græce patris) ex ore vestro non procedat*. Non ita vir Dei Samuel, de quo I. Reg. III. dicitur: *Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. Quod ita exponit Hugo cardinalis: *In cœlestia, non in terrena Samuelis verba ferebantur*. Cum enim Dominus esset cum eo, ut præmittitur, quid mirum si cum Deo et de Deo semper loqueretur? Laudandus etiam hoc nomine Carolus V. qui in tot militaribus expeditionibus adeo addictus orationi et in colloquio cum Deo frequens erat, ut de eo quidam dicerent: *Carolus sæpius cum Deo, quam cum hominibus loquitur*, Guil. Zeroccarus, I. V. de vita Caroli.

IV. Sita est in ore calido, quasi in clibano ardente. Et cur? Primo, ut in omni sermone nostro spiret amorem erga proximum, cui loquimur, juxta monitum apostoli, I. Cor. XVI. *Omnia vestra in charitate fiant*. Vult dicere, non in contentione et schismate, a quibus prius dehortatus fuit Corinthios; si omnia nostra, ergo et verba nostra, in charitate fieri decet. Calebunt autem charitate, si proximum vel amore mutuo ac reciproco, vel amore Dei accendere conemur: nec pro re quapiam terrena cum eo litigemus, sed cedamus ei potius, ne tunicam Christi, charitatem, scindamus. Unde S. Chrysostomus, orat. de S. Philogonio: *Meum et tuum appellat frigidum verbum*, quia charitate proximi caret. Ignem spirabat os Macarii Aegyptii abbatis, quando furem spectans efferentem e cella sua suppellectilem et jumento suo imponentem, accessit velut peregrinus, et in asino onerando juvit, dicens summa animi tranquillitate: « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus: Dominus dedit et abstulit, sit benedictus in omnibus, » in vitis patrum, in libro III. VI. et VII. Quantum ignem efflabat omnes ejus socios in Hispania igni traditurum, rescripsit: « Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego vero id dico et opto, ut et tu charitate flagres, et amici tui ac necessarii, non solum qui in Hispania, sed qui in universo terrarum orbe sunt, » libro V. vitæ, cap. II. Ribad.

Secundo, ut intelligamus os nostrum quasi furnum, et verba nostra quasi panes in eo pistos, indeque ad bonum proximorum clave linguæ depromendos esse. Scimus enim Dominum dixisse: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Matth. IV. Ergo verba, quæ ad pascendum proximum ex ore procedunt, panes quidam sunt. Et talia quidem Christus semper ex ore suo deprompsit: *Dic ut*

*lapides isti panes fiant, quem imitantur servi ejus, qui in destructionem proximorum scandala loquuntur, cædes et supplicia*. Errarunt in hoc aliquando Jacobus et Joannes, quando ignem de cœlo in civitatem Samariæ voluerunt vocare, correpti de hoc a Christo, Lucæ IX. et propterea fortasse *Boanerges*, hoc est, *fili tonitruum* appellati, Marci III. Filius tonitruum appellari potest lapis, qui cum fulmine e tonante nube in terram vibratur, et designat verba iracundi in proximum tonantia. Non simus tales *Boanerges*. Furnus panum sit os nostrum, non nubes tonitruorum ac fulminum.

V. Lingua in ore humido est et humore ad loquendum eget. Cur hoc? Primo: *Non frustra lingua in humido est*, ait Sanctus Augustinus super Psalmum XXXIII. *nisi quia facile labitur*. Hugo Victorinus anguillæ eam comparat, libro de anima: *Labitur ut anguilla*, inquit. Qui in lubrico ambulat, facile cadit; sic etiam linguæ facilis est lapsus: anguilla a manibus facile elabitur; sic verbum ex ore, quod revocari nequit. Scimus quomodo Jephthe labilitatem linguæ suæ plangat, Judic. XI. *Heu me filia mea! Aperui os meum ad Dominum, et aliud facere non potero*. Job etiam dolet ob unum verbum minus consideratum: *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam*, Job XXXIX. Hinc abbas Sisois per triginta annos non aliud precabatur, quam: *Domine Jesu Christe, protege me a lingua mea. Et usque nunc per singulos dies corruo per ipsam et delinquo*, addebatque: *Peregrinatio nostra est, ut teneat homo os suum*, vit. pp. I. V. Ergo ut in lubrico caute et suspensio gradu incedimus, sic et loquamur juxta id Eccl. IV. *Noli esse citatus in lingua tua: et Senecæ, ep. LXXII. ad Lucillum: Summa summarum hæc erit, tardiloquum et esse jubeo*. Sic ait David, Ps. XXXVIII. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*: et abbas Pambo, qui rogatus de re aliqua non statim respondit, sed dicere solitus est: *Nondum habeo quod respondeam*, Palladius, in Lausiac. c. X.

Secundo, ut sciamus linguam nostram unctam esse debere humore pacis et tranquillitatis; quomodo rotæ currus inunctæ, placide et sine stridore pergunt. De hujusmodi lingua Proverb. XV. dicitur: *Lingua placabilis, lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conteret spiritum*, quasi dicat: Sicut arbor vitæ contulisset edentibus sanitatem, et servasset vitam; ita lingua placida alios sanat, et mitigat, servatque ab interitu. Sic Jonathas blando sermone mitigavit iram patris, ita ut juraret Saul, se non occisurum Davidem, I. Reg. XIX. Abigail uxor Nabal iratum Davidem, I. Reg. XXV. Delectatur enim natura,

IV. PARS ÆSTIVALIS.

præsertim humana, suavitate, adeoque nectare, melle, saccharo, quibus devincitur et mitigatur, non secus ac suavi melodia. Unde Ecclesiast. XXX. dicitur: *Tibia et psalterium suavem faciunt melodiam: et super utraque lingua suavis*. Quare, uti cervi capiuntur melodia, teste Pierio, lib. VII. et Saul etiam malo spiritu exagitatus psalterio Davidis mitigatus fuit: ita feroces etiam homines necdum pacati, deliniuntur verbis placidis. Testis M. Antonius, qui ad mortem quæsitus et circumseptus a militibus, linguæ suæ dulcedine adeo eos flexit, ut ad genua ejus acciderent, Valerius Maximus, lib. VIII. cap. IX. testis David, qui sua melliflua oratione Saulem commovit ad lacrymas, I. Reg. XXIV. Gedeon, qui repressit tumentes contra se, Judic. VIII.

VI. Lingua inter quinque sensuum organa non supremum obtinet locum in corpore humano, sed subjecta est auribus, oculis et naribus. Et cur, auribus? Ni fallor, ut discat prius audire quam loqui. Et propterea Christus surdi et muti hodierni prius aures expedit, postea linguam aperuit: *Aperit aures ejus*, inquit Marcus, *et solutum est vinculum linguæ ejus*, quia et prius miserat Dominus digitos in auriculas ejus, tum tetigit linguam ejus. Pari ratione in pentecoste prius Spiritus sanctus manifestavit adventum suum in sono, postea in linguis igneis. Et cur Ezechiel dixit Deus: *Dedi in aurem super os tuum* (Ezech. XVI.) nisi quia prius audire debebat, ut bene loqueretur? Oculis subjecta est, ut priusquam loquatur, undique circumspiciat quid loquendum sit. Mercator merces suas nonnisi ad stateram, mensuram et unam vendit, multo magis verba ad stateram prius revocanda sunt, quam exponantur. Unde Ecclesiastici XXVIII. dicitur: *Verbis tuis facito stateram*, ut scilicet prius veniat sermo ad limam quam ad linguam, ut exponit Hugo Carensis. Naribus, ut prius emendemus proprios defectus, quam corrigamus alienos. Debemus fere priusquam loquamur, nares extergere, ne humore ex iis defluente os impediatur. Ergo qui alterum docere vel reprehendere vult, prior ipse apprehendere se velit, prior ipse apprehendat nasum suum, eumque expurget: *Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum*. Qui naso caret absurde loquitur: sic et qui sine ratione verba facit.

VII. Lingua ori quasi carceri inclusa est, septa duplici vallo, dentium et labiorum. Quæ causa? Primo, quia lingua canis instar ferocis custodienda est, ne ad hominum morsus facile prorumpat. Ideo enim S. Jacobus, cap. III. ait: *Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentium, et cæterorum animalium domatur et domita sunt a natura: linguam autem nullus hominum domare*